MARCO FAVARETTI NUNC PRIMUM SACRA SOLEMNITER LITANTI HOC...

MARCO FAVARETTI

NUNC PRIMUM

SACRA SOLEMNITER LITANTI

HOC CARMEN

J. P.

LÆTANTI ANIMO

D. D. D.

«Omnino illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus».

Cicero de Offic.

Patavii Typis Seminarii MDCCCLXVII.

Amice!

Gratulor Tibi, Marce mi, summeque gratulor; nec possum quin id palam pro nostrâ amicitiâ quoquo modo faciam. Igitur hoc meum, qualecumque est, opusculum, quod, occasione datâ tam faustissimâ, qua Sacra nunc primum litas, nuncupare Tibi decrevi, humaniter excipias rogo.

Historia, ut præclare Tullius, est lux veritatis et magistra vitæ; idcirco me rem non inopportunam facere existimavi, si, quamvis non uti par esset, gesta commemorarem Thomæ Mori, maximi Angliæ Cancellarii, optimi quidem viri et hominis doctissimi; præcipue cum nostris hisce diebus ea propemodum fieri animadverterem, quæ, qua is vixit ætate ac vehementius postea, contra Ecclesiam Catholicam sunt perpetrata.

Fuit Thomas nepos Christophori Mori, illustris Venetæ reipublicæ Ducis, qui, anno 1464, cum magna classe Anconam profectus, Mahumedanorum opes

atterendos suscepit. Omni virtutum genere, præsertim animi magnitudine excelluit, optime quidem de Catholicâ Ecclesiâ meritus, pro qua periculum fortunarum et capitis negligere non dubitavit, ac propterea dignus qui veluti exemplar omnibus imitandum proponatur. Hujus igitur persequamur vestigia nos potissimum, qui sal terræ mundique lux et esse et videri debemus. Tu fac quod facis ut me ames, Teque amari a me scias. Vale.

Patavii. XVI Kal. Jul.

J. P.

THOMAS MORUS

« Fortitudo simplicis via Domini »
Prov.

Nam quo Te dicam versu? Qua grandia laude
Gesta Tui celebrem, solum cui gloria nomen,
Thoma? Magnum animæ robur, mentemque capacem
Ante alias, celebrata viri cunabula tanti,
Urbs stupuit Londini (1), et dextro numine fovit
Religio gaudens, venturæ præscia sortis.
Olli non aulæ fastus, non gratia regis
Defuit; unde via ad summos latissima honores.
Quos tamen, effrenis simul ac violare Lubido
Divini cœpit Juris præscripta, vetusque
Relligionis opus scelerato evertere nisu,
Multa viri virtus sprevit, quæcumque parati
Exhaurire vices certæque occumbere morti,
Si, quæ robustos ad sensûs educat una,
Id jussura Fides, magnorum splendor avorum.
Cœperat Henricus, vigil antehac Dogmatis ille
Catholici tutor (2), justos corrumpere mores.
Infelix! propriâque simul cuppedine et astu
Captus adulantum, quos nutrit regia sæpe
Regis in exitium, coram scelerare verendos
Nil timuit thalamos. Labes hinc prima malorum,

Quæ, jam catholicus, longo gemit Anglus ab ævo.
Illustri tot adhuc hominum rubefacta cruore
Arctoi unda fremit maris, indignatus et aer
Æterna damnat tantum caligine probrum.
Omnia terror habet. Jamjam cursare satelles
Plurimus hac illac; et qualis ovilia circum
Explorans lupus in pecudes furit ore cruento:
Non secus illa hominum bacchantur monstra, tuorum,
Bolenis, scelerum rabido prænuntia rictu (3).
O dolor! o pietas! Quæ non tractabilis iræ
Scæna fuit! mens nunc etiam meminisse perhorret.
Non languor sexûs, teneræ non gratia frontis,
Nec tot pro patria gestis præclara senectus,
Egregiumve togæ decus aut venerabile mitræ
Cæsareos mulcent animos, magis usque furentes
Catholicum, quacumque sonat, rescindere nomen.
Insano fervens æstu, victusque dolosis
Bolenæ illecebris, ipsam (nam dira voluptas)
Fœdasset patriam cunctorum cæde suorum
Princeps, quam potius vetitos exstinxet amores.
Ast eheu! quid non mortalia pectore cogis,
Pœnarumve metus, vel honorum cæca cupido?
Cernitur (infandum) regali applaudere culpæ
Ipse Dei, magnâ turbâ sectante, minister.
Quippe ulcus populi immiserabile, sæpe maliguis
Artibus instigans reges, ubi Muneris alti
Legibus insultat majestatique, sacerdos.
Inter tot ferro absumptos, virtutis et inter

Tot desertores patriæ, imperterritus, audax
Stat Thomas, vilesque Henrici provocat altâ
Nobilitate animos, crescentemque inde furorem;
Quale Padi aut Athesis ripas prope surgit amœnas
Aerium robur, quod non Boreæ impetus ullus
Est quassare potis, qualisve freto aspera cautes
Imminet, atque minas perfert cœliqne marisque,
Ipsa nigro late resilire in vortice cogit
Ferventes undas. — At sanctæ imitabile vitæ
Exemplar, scelerum monimentum juge suorum,
Odit Nequities, et ni sibi plaudere cunctos,
Cuncta suis videat ni semper cedere votis,
Sive dolo seu vi semper nocitura patenti
Sævit in insontes. Fœdâ sic arte ruinam
Proditor Henricus veteri molitur amico.
Eja age, rumpe moras; sceleratam perfice mentem;
Arripe, Rex, gladium; possit quid mescula virtus
Experiare licet; nec enim nil tale merentis
Illa labat virtus animi, qua sistere læti
Heroes quemcumque solent per vulnera in hostem,
Docta mori, seu jussa Dei seu publica poscant
Commoda. — Continuo vafer en dare plurima Cæsar
Promissa, et quæ fraus dictat sibi cumque parare;
Post urgere minis. Sed enim molimina cuncta
Facundo eludit Thomas mirabilis ore,
Et rabiem objurgat male tectam. Oh nobile pectus!
Jam primas primo duxisti in pulvere palmas:
Te majora manent subeunda. En lumine torvo

Adstat jam lictor, jam fulgurat acta bipennis … .
Ne dubita; effetæ toties in corpore vires
Frigere, horrendis quoque vidi sæpe subactos
Tormentis gemuisse artûs, sed tempore nullo
Heroum lassari animas, subigique cruento
Ense tyrannorum, quos indignata merentes
Perpetuum cumulet probris gens postera in ævum (4).
Turris erat vasto suspectu (nomen ab urbe
Londinensis habet), firmo circumdata vallo,
Cui miri Thamesis latus alluit unda boreum.
Porta adversa ingens, de durâ rupe cavata,
Per celsum pontem varias traducit ad arces.
Mœsta, cruenta domus, secretis horrida cellis
Immensisque tholis, anglûm munimina regum.
Hic jacet interea vinclorum pondere pressus,
At non curarum, postquam scripsisse libello
Sub turpi renuit Thomas illustre per ausum. —
Famosi damnat jurandi formula juris
Catholicos, laudat fœda ad divortia pronos (5). —
Horret vir, juratque ante ipsam ponere vitam,
Quam Fidei statuat, quam Morum scindere leges.
Non tetigere minæ quem blandimenta precesque
Non tangunt; gaudet mage recrudescere agonem
Martyr, et ipsa jocans hilarat pulchræ ultima vitæ (6).
Nunc agite, o nostri sæcli quos ebria raptat
Libertas, scelerumque altrix sapientia cæcis
Addocet olatos animis, ediscite demum
Ingenuâ amplecti divina oracula mente,

Si vos tangit amor Veri, si tangit Honesti·
Hac visi tot laude viri, hac et fulgere Morus.
Doctrinæ iunixus, qua prima sb origine mundı
Numen inextinctos arcanæ lampadis ignes
Excutiens præpandit iter mortalibus, altâ
Naturæ Causam, motûs elementaque rerum
Mente agitat rimaturque et moderamine certo
Temperat indociles austeræ indaginis ausûs.
Tum vero nova deprendens, nova gaudia pigris
Interdicta animis capit, interdicta superbis.
Præcipue genus humanum miratur utramque
Complectens seriem rerum, simul omnium egenum,
Excusum variis et prodigialiter unum.
Cuncta sed innatâ pridem discordia lege
Percipit: unde hominum et rerum mirabile fœdus
Abrumpi et mundum Erroris caligine volvi.
Noctis at in medio, qui secreta ora profanis
Develet tandem Sophiæ, lucemque reducat,
Ecce unum gaudet micuisse Deumque Hominemque,
Æternæ Radium Mentis, de Lumine Lumen.
Hunc stupet effrenem sine vi componere mundum,
Objicere adversa adversis et cuncto fideli
Jungere complexu; stupet Hunc de morte sub ipsâ
Morte triumphare (7). Inde novas deducit amoris
Semper opes, imosque animi pandisse recessûs
Exoptans, caris credit mansura per ævum
Sensa libris pia (8); gliscentem magis inde vigorem
Elicit, extremum melius quo tractet agonem.

« O Crux augusta, insignis trabs hospita Lethi!
O Caput afflictum spinis, vulsique lacerti,
Exsangues lacerique artûs! Quis talia spectans
Temperet a lacrymis? Aut quis per tela, per ignem
Ire reformidet pro Christi Lege morique?
Quid socors ego, si patitur Deus ipse? Nocentem,
Si premit insontem, quid non fera pœna manebit?
Nil vestros timeo nexûs ». Sic vincula deflens
Alloquier Thomas, dioque ardore liquantem
Fundere late animam; subitâ cum luce coruscus
Splendescit carcer, radiansque occurrit imago
Sancta Redemptoris ligno pendentis ut olim
Quintuplici costam transfixi vulnere Corpus.
Qua tam dilecti caperis dulcedine visûs,
O pugnax Christi miles, quo incenderis æstu!
Jam terras liquisse putas, fulvoque per auras
Sublimis curru, choreis hilaratus, alumni
Quas aulæ æternum plaudunt stellantis, in astra
Jam rapi et assiduo totus fulgore beari...
Audis? Vox Moro ecce sonat notissima, claustrum
Panditur: ecce genas mulier (9) suffusa rubore
Irruit in collum senis... ambo amplexibus hærent...
Ægypti qualis peragrans deserta viator
Arida hiat sub sole siti, quum denique adustis
Prospicit e sabulis salientes eminus undas,
Et jam degustasse putat, jam huc currit anhelus,
Admovet en labra .; at miserum decepit imago
In pejora trahens, aut qualis navita longos

Æquoris emensus tractûs, tellure potiri
Ducit tandem animo, sed tellus diffugit ante:
Jam venti strident, nimbis dant fulgura nimbi (10);
Non aliter, lætâ jam vanescente figurâ,
Majorum Thomas subeunda pericula rerum
Adspicit, et magno persentit corde laborem. —
Suspirans tristique trahens e pectore vocem
Filia sic patrem alloquitur: « Datur ora tueri
O tandem tua? Dilectum servare parentem
O tandem natæ datur? Eja age, desine Regis
Obniti imperiis pugnax, o, desine; poscit
Hoc amor, hoc pietas, hoc cari viscera patris.
Alme, precor, miserere tui, miserere tuorum ».
Talibus orabat dictis, longosque ciebat
Ex oculis fletûs. Cui non mutabilis orsus
Sic pater: « Heu quid multa doles, dulcissima rerum?
Num vincla hæc? num deformi macie ora peresa?
Infelix! jucunda doles. Lacrimare flagrantem
Indecori nimis Henricum cuppedine; fidam
Nec, quæso, lacrimare animam patriæque Deoque.
Non hæc æquus amor tibi dictat. Negligis alta,
Vilia dum servas. Non hæc puerilibus annis
Te docui genitor, non: Religionis amorem
Te docui primum, documenta hæc prima parentum
Nostrorum. Hæc pietatis honos? Hoc, hoc mihi de te
Nata, refers?... ». Dixit pressoque obmutuit ore.
Haud tamen absistit dictis mollita paternis,
Quin cunctis iterum ingeniis oppugnat et armis,

Quot sibi præbet amor, mulier, geminansque querelas
Jam facilem optatæ callem ostentare salutis
Contendit, se pro dulci capite omnia posse,
Posse ipsam quoque sub ferro profundere vitam.
Luctantem at contra, et veteri prælustria ab ævo
Heroum Christi recolentem nomina, patrem
Spemque metumque inter demum suspensa reliquit.
Scinditur interea cervix, quæ sanguine fœdum
Ad solium collapsa tuum, tua, barbare Princeps,
Perfidiæ spirans etiamnunc increpat ausa:
Illa est Fisceri cervix (11). A pluribus annis
Junctus amicitiâ Thomæ, cognoverat alta
Fiscerius jam sensa viri, moresque decoros.
Ambo pares pietate, pares et robore mentis;
Ambo Brittonis lætissima lumina cæli.
Tum vero Europæ celebratas multa per urbes
Erroris grassante lue, penitusque ruente
Et Fidei et Morum cælestia dogmata, ubique
Pugnabant clari pro templo artisque magistri,
Ipseque, Fiscerio calamos ducente, Britannus
Pugnabat Cæsar. Sed lata superbia pectus
Post ubi cæsareum atque procax invaserat ignis,
Continuo sanctæ Roffensis præsulis iræ
Arsere, incassum scelerum nova monstra quorentis;
Regius inde furor, tantorum causa malorum.
Cernitis? En mitrâ pariter venerandus et annis
More scelestorum vinctus per compita, Mori
Heu rapitur tener ad crudelia funera amicus.

Nec tamen ille pavet, felix ei sternier uno
Ambo ictu possent et sancta jugare tropæa.
Sed quid non audes humanæ astutia mentis?
Extimuisse senem, Thomæ vox fertur ad aures,
Vix ubi lictorem, lugubria pulpita, ferrum
Viderat, ac tandem Henrici cessisse furori.
Vox at vana sonat; magnorum est namque virorum
Magnos nosse viros. Nostrum sic quidlibet ausæ
Heros haud quatiunt fraudes iræve minaces;
Mens immota manet, non ullis percita rebus,
Supremique cupit tempus properare triumphi.
Jam fera Roffensis celerarat fata Tyrannus;
Quippe ratus veteris tam duro vulnere amici
Exhausta ob crebras deflectere pectora pugnas.
Cuncta ubi sed sensit studio vanescere insani,
Immo novas vires tentatis viribus addi,
Protinus extremam captivo indixerat horam
Nuntius hic, dulcis tantorum meta laborum,
Solatur Thomam, velut æquore sæva remensum
Vectorem portus. Manet alto corde reposta
Relligio et magni Senioris nobile letbum.
« Sit Deus, ille infit, præsens tutela meorum,
Sit columen patriæ et cæci lux alma Tyranni.
Proluat Ipse meo peccantem sanguine terram:
Excitet Ipse meo validos de sanguine cives »
Talibus orabat dictis, generosus ut olim
In mediâ vitam fusurus martyr arenâ.
At pia vota Deus, qua prudentissimus usque

Et maria et terras moderatur lege polumque,
Tum frustrabatur, siquidem melioribus annis
Anglorum dederat ramis pacalibus aras
Cingier, et Mori nomen super æthera tolli.
Jam venit hora, agitur qua crudis septa ministris
Victima jussa mori, qua demum pascitur ingens
Astutæ livor Bolenæ et cæca lubido. —
Sed qui nunc feriunt clamor querulique ululatûs
Improviso aures? Magnâ comitante catervâ,
En Thomæ passo furiata occurrere crine
Femina et ambabus trepida amplexarier ulnis
Genva senis; mœstas exin sic promere voces.
« Quo quo crudus abis? aut quæ te insania mutat?
Sum tua nata, pater, te nata ego diligo patrem:
Dulce mihi pro te genitali hac vescier aurâ,
Pro te dulce mori. Ah per ego hæc tua viscera, per si
Quid natura valet, vel si quid carius usquam
Est tibi, parce tuæ, venerandæ parce senectæ,
Exoro; si nulla mei, natûm ulla meorum
Te pietas moveat; vel natæ corpora firmo
Proculca pede, sic vitam exhalabimus ambo... ».
Vix ubi desierat, velut exanimata, paternos
Labitur ante pedes sine voce immobile corpus.
Tunc animum tantæ strinxit pietatis imago,
Cessissetque heros; vicit tamen inclytus ille
Religionis amor Cœlique arrecta cupido,
Et pretio renuit vitam mercarier isto
Obstupuêre omnes, studia in contraria scissi,

Hic siquidem gnatam, sed prædicat ille parentem. —
Interea cum voce manûs ad sidera tendens
Divina adposcit miseræ solamina Thomas,
Et durum molitur iter. — Jam plurima circum
Turba fremit plateas, lento ceu murmure flabris
Quando agitur nemus, aut pelagi revolubilis unda.
Pars hæc xysta tenent, scabris pars altera muris
Adrepunt avidisque oculis spectacula poscunt·
Tantus amor, nullo fors enarrabilis ore,
Sæpius est homini fraternas visere cædes.
An velit immanem, nescis, explere cruoris
Ille sitim, an cire insolitos in pectore motûs.
Venit ubi ad scalam Thomas interritus, ecce
Dilectam ante oculos natam, parvosque nepotes
Cernit adesse sibi, patremque orare querelis,
Ne sine voce abeat cognatis fausta precante.
Tam tenero genitor commotus viscera visu,
Totus it in lacrimas, rumpitque hanc pectore vocem:
« O nata, o nati, quos puro semper amore
Complexus linquo moriens, sit vestra laborum
Meta Deus, sit dux, sit merces ultima vitæ.
Proh, ut ego, Ille meæ bene tempora dicat in omne ».
Sic ait, et supplex oculos dextramque precantem
Protendens, veniamque Deum columenque rogavit.
Inter opus patria intremuit manus: oscula natis
Mille dedit, mille amplexûs, extrema paterni
Non defecturi monumenta et pignora amoris.
Talia spectantum pars murmurat, æstuat, ardet

Vota tyrannorum successu fallere in ipso,
Et jam conclamat, jam jam... sed præpedit ille
Fortia perpetuo sistens conamina terror
Nulla mora. intrepido feralia pulpita gressu
Conscendit Thomas, tollensque ad sidera palmas
Cœlo exauditas voces dedit ore supremo.
Reclinis cervix, rapidâ jam cæsa bipenni,
Subjectam fœdat stillanti sanguine arenam... —
Vive, anima illustris! Te cunctos læta per annos
Posteritas super astra feret, memorandaque facti
Fama tuum attonito nomen celebrabit in orbe.
Vive! Sed omnigenæ hæc viva exemplaria laudis,
Credita ab historiâ sæclis imitanda futuris,
Exprimat augustæ quisquis documenta bonosque
Prosequitur Fidei mores, et sancta profanis
Quisquis non dubitat præque ipsi ponere luci.
Nunc etiam Italicas incestat funere terras
Erroris diffusa lues, lateque triumphans
Cuncta ruit tristi vesana licentia ritu.
Eja agite, invicti aut calamo aut insurgite voce,
Asservate focos, sanctas tutaminor aras,
Quotquot honor virtutum et mentis clarat acumen.
Sic gessere patres, sic visa excellere nostra
Hæc Genii ante alias fortunatissima proles,
Ne, veluti Angligenis, nobis contingat amicam
Deseruisse Fidem, neu (quod procul omen absesto),
Anglia dum floret (12), nostra areat Itala tellus.

ADNOTATIONES

(1) Natus est Londini an. Domini 1464

(2) Henricus VIII, consilio et opera Fisceri Roffensis Episcopi, librum edidit inscriptum *de Sacramentis*, quo impia Lutheri dogmata refellebat; quamobrem a Leone X insigni titulo *Defensoris Ecclesiæ* fuit decoratus.

(3) Elisabeth Regina Angliæ, filia Bolenæ, ob suam in Catholicos crudelitatem famosissima.

(4) «Memoria justi cum laude, et nomen impiorum putrescet (Prov. X. 7)».

(5) Tale jusjurandum in his duobus continebatur; in approbando scilicet divortio, quod instituerat Henricus facere a legitima conjuge Catharina Aragonensi et in summa Rom. Pontificis auctoritate penitus repudianda, regique Angliæ affingenda.

(6) Solebat, ut attentius rerum divinarum contemplationi vacaret, fenestras claudere angustæ, in qua detinebatur, custodiæ. Idcirco rogatus a quibusdam, cur lumine uteretur nullo, facete respondit. An nescitis officinam ereptis mercibus claudi oportere? Et revera libri, quos secum attulerat doctrinæ ac pietatis fovendæ studio, ei adempti fuerant. Tam singularis erat in homine, vel summis angustiis presso, jucunditas et tantus in jocando lepos

(7) Philosophus catholicus in demonstrando magis quam in investigando versatur; itaque sua ad aliquid probandum argumenta ducit ab auctoritate, non quo rationem nihili faciat, quam potius adjungit rerum homini a Deo patefactarum scientiæ ancillam pedissequamque juxta illud S. Augustini: «Naturæ quidem ordo ita se habet, ut, cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas (De ord. l. III. c. 7)». A Deo suarum ipse di-

sputationum initia facit, a quo descendit ad hominem, cæterasque rerum naturas, quarum mirum in modum particeps homo est utpote quem, quidquid in hac reperitur amplissima rerum varietate, prope complecti ita videmus, ut a Græcis jure optimo appellatus sit *μικρόκοσμος*.

Humana ratio extra illos cancellos egrediens, quibus divino consilio circumscripta fuit, aut unam in universitate rerum naturam voluit invenire, quam nuncupavit *divinam*, aut Deum et re et nomine omnino expunxit, inque Ejus locum sufficere fortuitum atomorum concursum vel idem non dubitavit; a quo utroque philosophia catholica quantopere abhorreat, nemo est quin sciat. Ecquis poterit præterea tot tantorumque malorum causam remediaque, et alia tam vehementer a plurimis agitata, nunquam vero definita, explicare, quin huic philosophiæ plane adhærescere velit? Nihil enim tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo cum veteris tum nostræ ætatis philosophorum, qui rationi humanæ plusquam par est concedere voluerunt. Virtus est medium vitiorum, ait Horatius, ac propterea, ut omnes rationis nervos incidere, ita nimis contendere vitiosum esse autumo.

(8) Etiam in vinculis aliquid de Passione Dominica exaravit stilo amantissimo.

(9) Margarita, filia Mori carissima, naturali amore correpta subornataque ab Henrico rege muliebribus quibusque illecebris atque incitamentis animum patris sui robustum et prope aheneum irretire ac frangere conabatur. Ipsa tamen victa incredibili tanti viri fortitudine atque constantiâ ad meliorem postea frugem se convertit.

(10) Hæc mira sane species appellatur a physicis *miraggio*.

(11) Joannes Fiscerius Roffensis Ecclesiæ in Anglia Episcopus, eruditionis copia et pietate singularis ab Henrico in carcerem detrusus et variis crebrisque tormentis graviter afflictus, tandem cum insignia Cardinalitiæ dignitatis sibi a Romano Pontifice in testimonium approbatæ fidei et constantiæ suæ transmissa, in vinculis recepisset, sequenti die, priusquam ea sibi induere posset, una cum plerisque aliis innocentibus Monachis pro fide et veritate triumphalem martyrii coronam a crudelissimo Tyranno suscepit (Sixtus Senensis in Biblioth.).

(12) Londini numerantur hodie supra ducenta millia Catholicorum.

Præconiis omissis, quæ Th. Moro tribuerunt clarissimi ac præstantissimi viri, inter quos Sfortia Card. Pallavicinus in sua Historia Conc. Trid., Paulus Jovius Ep. Nocerinus in suis Elogiis Britannis, placet commemorare illud Card. Bellarmini in Libris *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. «Thomas Morus æqualis fuit Joannis Fisceri, eique amicissimus et nobilis Collega martyrii. Fuit autem vir doctrinâ variâ eruditus et ingenio amœnissimo; quippe Theologus, Philosophus, Orator, Poeta, Historicus, Linguæ græcæ et latinæ peritus. — Scripsit ut Theologus insignem Responsionem ad Epistolam M. Lutheri; necnon Explicationem Passionis Dominicæ: item Libellum, quo, pro Fide Christi mortem fugiendam non esse, defendebat. Ut philosophus, libros duos de optimo statu Reipublicæ, quos Utopiam inscripsit. Ut orator, Declamationem Lucianicæ respondentem. Ut poeta, Epigrammata plurima. Ut historicus, Resgestas Riccardi III regis Angliæ. Ut Linguæ utriusque peritus, dialogum Luciani e græca lingua in latinam convertit.